

omnium operum exemplo pascere, hisque ac caeteris pastoralis Officii muniis satisfacere, ut par est, minime posse eos, qui gregi suo non invigilent neque assistant vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet et personalem in Ecclesia vestra vel dioecesi residentiam servetis, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus gen. Conciliorum decretis et constitutionibus PP. luculenter declaratum praescriptumque est.

Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres menses singulis annis pro libitu aut quacunque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam hujusmodi aequa requirat causa simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem iudicem futurum esse eum, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, ideoque videte, ut causa talis vere sit, quae probari jure possit supremo huic pastorum principi, a quo ovium vobis creditorum sanguis est quantocius requirendus; in quo quidem iudicio frustra pastor contenderet ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente se ac inscio, abductas devoraverit; nam si res penitus inspiciatur, satis opporet nullum prope malum aut scandalum in dioecesi sic destituta contingere, quod non sit ei adscribendum, cujus erat, subditos a recta semita deflectentes revocare monitis, alicere exemplis, voce confirmare, auctoritate et caritate continere. Porro quis etiam non intelligat, multo satius esse negotio alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra dioecesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi et gubernandi gregis ab eo per se non per administratores curari? Sint enimvero quantumvis

idonei probatique ministri, non tamen eorum vocem sic solent audire oves ut vocem veri sui pastoris; nec vicariam illorum operam supplere satis vigilantiam atque operam ipsius Episcopi, cui peculiaris Spiritus s. gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

Epist. Bened. XIV. ad Episc.

Die 3. Dec. 1740.

(Bull. r. t. XVI. p. 4.)

Constitut. Leonis XII. de die 3. Maii 1824 (Collectio Gener. Archid. Monaco-Fris. I. 118).

Residentia in propriis dioecesibus Episcopis Hiberniae inculcatur.

Bened. PP. XIV.

Grave et permolestum Nobis accidit compertum habere, nonnullos Hiberniae Episcopos adeo muneris sui et animarum curae sibi commissarum esse oblitos, ut alter, ex quo jam pridem Episcopale regimen susceperit, nunquam hactenus in dioecesi resederit, alter, transacto vix cum ovibus suis mense, Angliam, deinde Galliam, Belgium Germaniamque peragraverit, nonnulli vero semel in anno aestivo tempore, paucis quidem diebus, quasi relaxandi animi causa, ad Ecclesiam sibi traditam accedere consueverint. Hoc autem quanto Nos dolore confecerit, verbis explicare satis non possumus. Quid enim aliud ex tam absurda Episcoporum absentia cogitare possumus, nisi certam populorum calamitatem aeternamque animarum perniciem? Experientia quippe didicimus et oculis prope Nostris vidimus in ipsa Italia ecclesiasticam disciplinam, pietatem et mores in deterius ire, si quando Episcopum a Sede sua diutius abesse contigerit, quamquam in Italia non desint et parochi vigilantes et Ecclesiastici plurimi docti ac probi tam Saeculares quam Regulares, imo et Vicarius probitate vitae, scientia

usuque ecclesiasticarum rerum valde peritus, qui absentis Episcopi partes pro viribus expleat. Quid vero sperandum aut quid mali non metendum, ubi summa Ecclesiasticorum paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos versari debent, et ab ipsis Magistratibus saepe religionis causa vexari solent?

§. 1. Non est autem, cur Nos in praesens novas leges aut poenas ad coercendam ejusmodi licentiam statuamus, cum dubitare minime possimus, vos non ignorare, quam graviter stricteque per sacros Canones apostolicasque Constitutiones, tum maxime per Concilium Tridentinum Episcopis injungatur in Ecclesiis suis residere et oves sibi creditas nullo unquam tempore extra summam necessitatem deserere. Qua de re etiam nomine VV. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum nonnullos ex vobis admonitos fuisse certo scimus. Cui sane residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium a se Substitutum seu Vicarium Ecclesiam regunt, nisi forte ad breve tempus et gravi de causa id fieret.

§. 2. Neque vero opus esse censemus, viros doctos et sacrarum literarum apprime calentes, quales Vos estis, docere de differentia residendi, quam materialem et formalem vocant. Quis enim vestrum, Venerabiles Fratres, ignorat, tunc Episcopum materiali modo in Ecclesia sua residere, cum neque Verbum Dei voce et exemplo disseminat, neque a semita justitiae deflectentes revocat, neque periclitantibus opem et auxilium defert, neque demum adversus lupos rapaces, qui in vestimentis ovium saepe intrant ovile, ut rapiant et mactent, sedulo invigilat fortiterque se opponit? In qua sane vigilantia ac pastoralis sollicitudine potissimum sita est vera et

formalis residendi ratio. Alloquimur profecto viros theologos, humanarum divinarumque rerum scientissimos, qui probe intelligitis, curam et salutem animarum opus esse divinum et onus angelicis, ut ajunt, humeris formidandum, oves dominicas pascere, quarum de manibus vestris sanguinem summus pastor aliquando requiret, si quae forte vitio aut negligentia vestra perierit. Neque enim se quisquam excusatione tuebitur, quod illae se inscio aut absente substituti alicujus aut Vicarii oscitantia aberraverint. Unicuique enim vestrum singulatim ab oraculo divino districte denunciatur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Vobis igitur, non alteri, pascendi oves praeceptum datum est. Vobismet ipsis spiritualis animarum salus innitur, et vos illam suscepistis, de ipsis rationem reddituri. Proinde vobis non immerito tribuetur inopia Verbi Dei, Sacramentorum neglectus, corruptela morum et omnis eorum, qui ignorant et errant, miseranda perniciēs.

§. 3. Nos itaque haec omnia non sine lacrymis considerantes hortamur vos et per amantissima Jesu Christi viscera, cujus vices in terris, licet immerentes, gerimus, obsecramus, ut animarum vestrarum non minus quam earum, quae fidei vestrae traditae sunt, miseratione moti, malis hisce tempestive occursatis, habentes prae oculis iudicium illud durissimum, quod Princeps Pastorum faciet iis, qui Ecclesiae praesunt et populum suum salvum non faciunt. Ponite vobis ante oculos clarissima et quidem domestica tot sanctorum Episcoporum exempla, qui charitate pleni et de animarum salute, ultra quam dici possit, solliciti, Hiberniam catholicae fidei zelo illustrarunt eamque pietate et religione florantissimam effecerant.

§. 4. Memoria recolite s. Patritium, Hiberniae apostolum nuncupatum, quem s. Coelestinus Praedecessor Noster ad vos misit, cujus apostolicae legationis et praedicationis uberrimus fructus extitit, ut Hibernia antea idolorum cultrix, mox Sanctorum insula diceretur et esset.

§. 5. Recolite s. Malachiam Archiepiscopum Armachanum et Legatum apostolicum per universam Hiberniam ab Innocentio II. Praedecessore Nostro constitutum, cujus ingens animarum studium a s. Bernardo quasi coloribus expressum legimus: „Stetit Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis, monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat, circumiens civitatem perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed et foris rura et oppida nihilominus saepius percurrerat, ibat et erogabat vel ingratis coelestis tritici mensuram, nec vehebatur equo sed pedes ibat, et in hoc se virum apostolicum probans.“ Haec s. Bernardus.

§. 6. Sed et sinceriora percurrite s. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis acta, quem regio sanguine ortum Legatum apostolicum in Hiberniam Alexander III. Praedecessor Noster in Concilio Lateranensi III. selegit eique postea Honorius III. pariter Praedecessor Noster solemniter Sanctorum honores decrevit; atque inde facile intelligetis, quae quantaque pro grege suo vir apostolicus fecerit atque pertulerit.

§. 7. Quod si recensere voluerimus sanctissimos viros, Columbanum, Kilianum, Virgilium, Rumoldum, Gallum aliosque plures, qui ex Hibernia in alias provincias catholicam fidem invexerunt aut illam per martyrimum effuso sanguine collustrarunt, plus

nimio epistolae modum excederemus. Satis sit eos breviter indicasse, quo facilius in memoriam revocetis, quae fuerit majorum vestrorum religio ac pietas, quae quantaque dignitatis episcopalis sollicitudo, quae quidem illos gloriosos ac beatos effecit. Horum sane vestigiis ut vos, quantum fieri potest, insistatis, iterum in Domino rogamus et obtestamur.

§. 8. Confidimus autem plurimum, ut vos, non tam paternae hujus admonitionis Officio quam conscientiae vestrae stimulis excitati in dioecesibus vestris in posterum resideatis et gravissimum pascendi oves debitum serio accurateque persolvatis. Quod si vestrum quispiam vel ratione provectoris aetatis aut aegrae valetudinis impedimento se pastoralis muneris revera imparem sentiat, is Coadjutorem sibi dari a Nobis petat Nobisque simul indicet, quem ipse idoneum ad illud munus fore judicaverit; nam statim ac erimus de ejus probitate, doctrina aliisque ad Episcopatum necessariis satis instructi, Coadjutorem haberi indulgebimus.

Apostolicam interim benedictionem Nostram paterno affectu vobis imper-
timur.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 15. Aug. 1741. Pontificatus Nostri anno primo.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 63.)

Benedictus PP. XIV.

Ad universae christianae reipublicae statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam et fidelium populorum salutem tam magni refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis praepositos, in ipsis Ecclesiis vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus Canonibus atque Decretis aut

apostolicae Sedis Constitutionibus et Sanctionibus tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta praetereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Trident. Synodus sess. 6. cap. 1. de Reform., tum ea quae recol. mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. praescripsit in sua Constitutione data apud s. Petrum die 12. Decbr. anni 1634, quae incipit: *Sancta Synodus*, et in qua praecedentes aliorum romanorum Pontificum Pii IV., Greg. XIII. et Clementis VIII. leges et Constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas literas, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos de implendo hujusmodi residentiae onere identidem admonendos ab hac apost. Sede mitti consueverunt, ut patet ex Epistola jussu Ven. Servi Dei Innocentii PP. XI. Praedecessoris quoque Nostri scripta die 5. Febr. anni 1678, item ex alia die 24. Dec. anni 1707 a fel. record. Clemente PP. XI. ad suum et apost. Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius regni Praesules ad residendum in propriis Ecclesiis et dioecesibus adigerentur, necnon ex ejusdem Clementis literis in forma Brevis datis die 25. Maii anni 1709 ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque dioeceses.

Neque porro Nos hac in re apostolici Officii Nostri partes desiderari permisimus. Vix enim insrutabili divinae providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem Praedecessorum Nostrorum morem in usum revocantes ad Ven. Fratres omnium per orbem Ecclesiarum Antistites apo-

stolica scripta direximus, quibus inter caetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis peculiari studio iis inculcare et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia conceditis ipsi dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est in §. 4. Epistolae encyclicae die 3. Dec. anni 1740 a Nobis conscripta, quae in tomo I. Bullarii Nostri nuper vulgati num. II. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam acerbo animi Nostri dolore nonnunquam acceperimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex Fratibus hac in parte violari, et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc observando, nunc increpando, absentes quidem per literas, praesentes vero ipsa voce ad debitum residentiae Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes in Nostra et Cancellariae apostolicae regula, qua beneficia ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam eidem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus, nimirum ut quamdiu ipsi apud Ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter residerent, de beneficiis hujusmodi ecclesiasticis, quae extra romanam curiam in Februarii aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositione apost. reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus, quo scilicet iidem Episcopi et majorum Ecclesiarum Praesules ampliorem potestatem in beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes hac etiam apost. Nostrae liberalitatis gratificatione illecti

ad personalem residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt et huiusmodi occasiones incidere, propter quas praevio rom. Pontificis assensu et approbatione liceat Episcopo a propria Ecclesia et dioecesi per aliquod definitum tempus abesse, ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae residentiae reum constituit, ideo et in Conciliis et in apost. Constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa tolerabilia temporum spatia providae statutae leges et regulae reperiuntur. Et quidem iustae ac legitimae absentiae causae a praefata Tridentina Synodo citat. cap. 1. sess. 23. non aliae agnitae fuerunt, quam christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia et evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum Canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt et statim sunt reversuri, omnibus Ecclesiarum Antistitibus indicit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duas aut tres ad summum menses, sive continuos sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari, eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis Cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis dioecesium suarum locis eos detinerent; eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id aequa ex causa fiat; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas aliaeque futiles causae penitus excluduntur.

Praefatus autem Praedecessor ad peculiare occurrentes casus descendens *Episcopis in curia promotis unum concessit mensem* (quem postea declaratum fuit a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse), quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Rom. habito a fel. record. Bened. PP. XIII. Praedecessore pariter Nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem *Benedictus facultatem concessit Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali suo* et Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejusque districtu Vicario, ut praefatum unius mensis terminum, juxta casuum contingentiam et causa cognita ad alios quadraginta dies, et non ultra, prorogare posset.

Paeterea *Episcopis ad Sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus* supradictus Urbanus Praedecessor indulget, ut qui Ecclesiis citra montes et citra mare positis praesident, per quatuor, qui vero ultramarinis et ultramontanis Ecclesiis praesent, per septem menses continuos a residentia in suis respective Sedibus facienda huiusmodi visitationis gratia excusarentur.

Cum vero idem Urbanus declarasset se per ea, quae in suis praefatis literis constituerat, minime sublata voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam, hinc plures ortae quaestiones et varia condita sunt Decreta ab eodem Urbano ejusque Successoribus approbata; cujusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam praedictam conjungere sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum visitationem eidem

concessum fuit; neque fas esse absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis, sicut etiam vetitum est praedictos menses conjungere cum eo anni tempore, quo propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur extra dioecesim duci contingat; denique ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra dioecesim duci contingat; denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coercere, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

Et quoniam Tridentina Synodus sub legibus de residentia huiusmodi ipsos etiam Sanctae Roman. Ecclesiae Cardinales nominatim comprehendit, praefatus Urbanus Praedecessor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui patriarchali seu metropolitanae aut episcopali Ecclesiae praepositus unum simul ex Episcopatibus Suburbicariis obtineret, constituit, ut huiusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis non autem apud Episcopatus Suburbicarios residere tenerentur.

Denique tam in praedicto Concilio quam in citata Urbani Constitutione contra Transgressores huiusmodi legum, quae ad residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt, quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori causarum curiae camerae apostolicae, verum biennio post totam hujus materiae cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc et pro tempore existentibus Cardinali Romani

Decreta authentica. Tom. III.

Pontificis in Urbe Vicario necnon ejusdem Pontificis Detario et Secretario Status ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac interpretationi et executioni Decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositarum. Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, justis ex causis et cum consilio praedictorum Praelatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis et dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani literis datis die 1. Jan. anni 1636 distinctius praescribitur.

Hujus Congregationis Caput seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens, quemadmodum ejusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis, unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Trident. interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super residentia Episcoporum simul sustinimus.

Quae sane Congregatio, ut ex illius Secretariae Regestis apparet, tam ipsius Urbani Praedecessoris temporibus quam aliis subsequentibus non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Praedecessore pariter Nostro Clemente PP. XI. in usum revocatum fuit et identidem peractum, Nobismetipsis praefatum Secretarii munus obeuntibus confectisque a Nobis et impressis foliis ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam canonicam ex-

pressa quoque licentia romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria, excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concil. Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat de aequitate causae iudicium facere; hinc est, quod quaecumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur, quem sane morem a praedecessoribus Secretariis inductum Nos quoque servavimus.

Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam et decem apud Bononiensem Ecclesias regimini Nostro successive commissas assidue residendo transegi- mus, in Urbem reversi et ad apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus, Congregationis praefatae sessionis materia forsitan deficiente non amplius frequentari comperimus neque porro chirographa aut folia signanda Nobis oblata fuerunt, sed facta Nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super executione et interpretatione Concilii et super residentia Episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus hujusmodi petitiones innitebantur, relatione, nostroque desuper accepto responso, opportuna singulis Decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam saepedictae Congregationis super residentia Episcoporum Praefecto, signari consueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiarium judicaverimus, visum est Nobis motu proprio et ex certa scientia, non solum pro debita, ut ajunt, actus solemnitate sed etiam

pro ipsius rei subsistentia et pro maturiori examine causarum, quae ad hujusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas apostol. auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

Primum itaque relata superius Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreta, *sess. 6. cap. 1., sess. 23. cap. 1. de Reform.* laudatasque rom. Pontificum Praedecessorum Nostrorum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. et Urbani pariter VIII. Constitutiones et Ordinationes necnon omnes et singulas, quas supra innuimus, resolutiones apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes, et tam Decretorum quam Constitutionum, Ordinationum et Resolutionum hujusmodi tenores etiam superiores pro satis hic expressis ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes et haberi volentes, illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes et confirmantes, omnia et singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat et pro tempore in posterum spectabit, attendi et in his omnibus, quae Nostris hisce literis non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus et in virtute sanctae obedientiae mandamus atque praecipimus, non obstantibus quibuscumque privilegiis aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse aut allegari contingat, motu ac scientia simili ac de praedictae apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine derogamus ac derogatum esse volumus et decernimus.

Secundo loco et consequenter ad praemissa adversus praedictarum legum et Constitutionum Transgressores omnes et singulas poenas in eisdem Decretis et Constitutionibus latis et comminatas auctoritate quoque Nostra

confirmamus et innovamus, amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento seu justis et rationabilibus causis cessantibus et absque expressa, ut praefertur, apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint, et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi hujusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur, ut in praedicto Concilio Tridentino sess. 6. cap. 1. de Reform. statutum fuit; incursum quoque in peccati mortalis reatum et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos nulla etiam praevia declaratione eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas seu in subventionem pauperum ipsius loci, quacumque conventionem seu compositionem pro hujusmodi fructibus male perceptis prohibita, ut in eodem Concilio sess. 23. cap. 1. praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV. Praedecessore poenam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur, necnon inhabilitatis ad majores Dignitates et Ecclesias obtinendas, quam praefatus quoque Praedecessor Clementis VIII. indixit, per omnia confirmamus et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, quae forsitan ipsis, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: Decernentes, sub transgressorum nomine comprehendendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa et expressa romani Pontificis licentia extra proprias dioeceses commorantur, sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubita-

verint vel ea semel rite recteque obtenta praescriptos in eadem limites ac praefinitum tempus praetergressi fuerint. Quod si nihilominus aliqui non minus canonica statuta quam propositas hujusmodi poenas contemnentes in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint, volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi juxta mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod in citato cap. 1. sess. 6., rom. Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis auctoritate in hujusmodi transgressores ad severiorem Sac. Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super residentia Episcoporum ab Urbano PP. VIII. institutae exercitium atque sessiones resumantur, confirmantes ipsius praefecturae munus dilecto filio Nostro Joanni Antonio Tituli s. Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe ejusque districtu in spiritalibus Vicario ejusque in Officio Vicariatus hujusmodi Successoribus, sicut etiam Officium Secretarii ejusdem Congregationis dilecto filio Magistro Joseph Alexandro Furrietto ejusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Trid. Interpretum Secretariis eosdemque statuentes in hujusmodi Congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere et suffragium ferre, quicumque ea officia et munera obtinent sive obtinebunt in posterum, quae in praecitatis Urbani Praedecessoris literis designantur. Praeterea quum minime expediat hujusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in tribunali praedicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiscalis ejusque in Officio

Successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata Congregatione, cui ipsum seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si Congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi et parvipendi posset, volumus atque statuimus, eandem tunc tantum cogendam habendamque esse, quum aut a Nobis sive a Successoribus Nostris rom. Pontificibus alicujus negotii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit aut hujusmodi etiam remissione cessante quoties de poenis superius constitutis adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmodi poenarum modus, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis seu Successoribus Nostris relatione approbataque Congregationis resolutione, ad hujusmodi poenarum executionem cum effectu procedatur, aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria dioecesi ratione alicujus muneris sive officii, cujus ea dicatur natura esse, ut apost. Indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim hujusmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo Nostraque et Successorum Nostrorum scientia et approbatione et mediante expeditione litterarum apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro et romani Pontificis pro tempore existentis supplicum libellorum Secretario aliisque Secretariis quarumvis Congregationum,

quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam Congregationem super residentia Episcoporum omnino remittant, simulque prohibemus Nostro et Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevis, ne litterarum apostolicarum super Indultis hujusmodi exempla Nobis aut Successoribus Nostris signanda ullatenus afferat, nisi authentica documenta tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto quam de apostolica approbatione et assensu consequenter emanatis eidem fuerint exhibita.

Quarto loco statuimus, ut folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis et spatio temporis, ad quod hujusmodi Indulta conceduntur, quae quidem folia a romano Pontifice subscripta in tabulario praedictae Congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quae per apostolicas literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus, sed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque post Pontificium assensum a Secretario requisitum et obtentum expediri debent per Decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae Congregationis Praefecto subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente signatura Pontificis super praedictis foliis, in quibus singulorum Indultorum tenores et causae a Secretario descriptae erunt, quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum hujusmodi Secretarii munere fungemur, servatum fuisse narravimus.

Quinto loco, quoniam experiendo

cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra dioecesim *infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent, nimirum: aut necessitas assistendi personaliter alicui liti seu controversiae, in qua Ecclesiae aut Cleri sui vel etiam propriae familiae res agatur, quaequae in romana curia introducta sit vel alia in Urbe, in qua resideant majora tribunalia, quorum ea de re iudicium esse debeat, aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra dioecesim conciliaribus mensibus utens morabatur, ita ut ad eandem dioecesim reverti nequeat, aut adversa valetudo in ipsa dioecesi contracta, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, Episcopum aërem et solum aliquantis permutare, aut denique malignitas aëris in dioecesi vicens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat. Et quoniam nec ulla ex praemissis causis absque expressa rom. Pontificis approbatione, quemdam ab onere residendi eximere potest, et nisi certis expressis circumstantiis iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem rite recteque procedere, necessarium Nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari mandamus atque praecipimus.*

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a dioecesi sibi concredita, ut judiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit, exprimere debet in precibus tum locum sive urbem, in qua hujusmodi lis agitur, tum etiam: an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam seu Clerum vel potius ad ipsius familiam. Et quidem si ad familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum

ab ipso erit, ut *Orator ad effectum, de quo in precibus, utitur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis jam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur.* Si vero de ejus Ecclesiae vel Cleri rebus agatur, exponi debent tum status litis ejusdemque gravitas tum causae, propter quas necessaria creditur in loco iudicii Oratoris praesentia, tum etiam declarandum: an mensibus conciliaribus usus fuerit; et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hujusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit (qua in re nec dolus nec fraus intercesserit), et alioquin ipsius instantia justa videatur, tantum illi temporis et non amplius ad commorandum extra dioecesim tribuatur, quantum iudicatum fuerit necessarium esse ad causae defensores, advocatos et iudices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos.

Si enim licentia abessendi a dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque dioeceses complurium annorum spatio suorum pastorum praesentia carerent.

Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae, dum vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam dioecesim sibi prohiberi, exponere debent contractae infirmitatis qualitatem et super ea testimonium medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitivum tempus concedi debet adjecta quoque clausula: si tandiu infirmitas duraverit.